



COLLOQUI/ COLLOQUI
quod tu in docendo potes

DE ASIA

**Conventiculum Felicianum XV nuntiatur
in Hospitali a Carmelo nuncupato
ad Benacum in sinu Felici
ab a.d. XVII Kal. Octobres ad a.d. XV Nonas Octobres
fruendum**



Index textuum adhibitorum

M. TVLLII CICERONIS PRO MVRENA ORATIO	3
CORNELII NEPOTIS EVMENES.....	4
L. APVLEI MADAVRENSIS FLORIDA	6
POMPONI MELAE CHOROGRAPHIAE LIBRI TRES	8
QVINTI CVRTII RVFI HISTORIA ALEXANDRI MAGNI REGIS MACEDONVM	10
FLAVI VOPISCI SYRACVSII DIVVS AVRELIANVS	12
L. CAELII LACTANTII DE AVE PHOENICE	15
AMMIANI MARCELLINI HISTORIARVM LIBRI XXXI.....	18
ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI ETYMOLOGIAE SIVE ORIGINES	20
IOANNIS DE PLANO CARPINI HISTORIA MONGALORVM.....	22
AENEAE SYLVII PICCOLOMINI PII II PONTIFICIS MAXIMI ASIA	24
HENRICI DE SOEMMERN DE VRBE CONSTANTINOPOLI DEPREDATA ET SVBIVGATA	26
IOANNIS PETRI MAFFEII HISTORIARVM INDICARVM LIBRI XVI	28
MARTINI MARTINII SINICAE HISTORIAE	37
ATHANASII KIRCHERI CHINA ILLVSTRATA.....	38
DAVID MORGAN, 'DE ADAMI SCHALL <i>HISTORICA NARRATIONE</i> :	
QVOMODO SINAE SINT LATINAE FACTAE'	39
APPENDIX - TABVLAE	41

[11] Intellego, iudices, tris totius accusationis partis fuisse, et earum unam in reprehensione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Atque harum trium partium prima illa quae gravissima debebat esse ita fuit infirma et levis ut illos lex magis quaedam accusatoria quam vera male dicendi facultas de vita L. Murenae dicere aliquid coegerit. Obiecta est enim Asia; quae ab hoc non ad voluptatem et luxuriam expetita est, sed in militari labore peragrata. Qui si adulescens patre suo imperatore non meruisset, aut hostem aut patris imperium timuisse, aut a parente repudiatus videretur. An cum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis paene simul cum patre triumpharet? [12] Hic vero, iudices, et fuit in Asia et viro fortissimo, parenti suo, magno adiumento in periculis, solacio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et si habet Asia suspicionem luxuriae quandam, non Asiam nunquam vidisse sed in Asia continenter vixisse laudandum est. Quam ob rem non Asiae nomen obiciendum Murenae fuit, ex qua laus familiae, memoria generi, honos et gloria nomini constituta est, sed aliquod aut in Asia susceptum aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. Meruisse vero stipendia in eo bello quod tum populus Romanus non modo maximum sed etiam solum gerebat, virtutis; patre imperatore libentissime meruisse, pietatis; finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fuisse, felicitatis fuit. Maledicto quidem idcirco nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit. [13] Saltatorem appellat L. Murenam Cato. Maledictum est, si vere obicitur, vehementis accusatoris; sin falso, maledici conviciatoris. Quare cum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, adripere maledictum ex trivio aut ex scurrarum aliquo convicio, neque temere consulem populi Romani saltatorem vocare, sed circumspicere quibus praeterea vitiis adfectum esse necesse sit eum, cui vere istud obici possit. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine neque in convivio moderato atque honesto. Tempestivi convivi, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi adripis hoc quod necesse est omnium vitiorum esse postremum, relinquis illa quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest? Nullum turpe convivium, non amor, non commissatio, non libido, non sumptus ostenditur, et, cum ea non reperiantur quae voluptatis nomen habent, quamquam vitiosa sunt, in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriae reperturum putas? [...]

[20] Quid Murena interea? Fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori legatus, L. Lucullo, fuit; qua in legatione duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit, urbis partim vi, partim obsidione cepit: Asiam istam refertam et eandem delicatam, sic obiit ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit; maximo in bello sic est versatus ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator. Atque haec quamquam praesente L. Lucullo loquor, tamen ne ab ipso, propter periculum nostrum, concessam videamur habere licentiam fingendi, publicis litteris testata sunt omnia, quibus L. Lucullus tantum laudis impertiit quantum neque ambitiosus imperator neque invidus tribuere alteri in communicanda gloria debuit.

[VIII] - 1 Hic [= *Eumenes*] in Paraetacis cum Antigono confligit, non acie instructa, sed in itinere, eumque male acceptum in Mediam hiematum coegit redire. Ipse in finitima regione Persidis hiematum copias divisit, non ut voluit, sed ut militum cogebat voluntas. 2 Namque illa phalanx Alexandri Magni, quae Asiam peragrarat deviceratque Persas, inveterata cum gloria, tum etiam licentia, non parere se ducibus, sed imperare postulabat, ut nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt, sua intemperantia nimiaeque licentia, ut omnia perdant neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint. 3 Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat neque rem ullam nisi tempus interesse iudicet. Sed ad illos revertar. Hiberna sumpserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam longeque inter se discesserant. 4 Hoc Antigonus cum comperisset intellegeretque se parem non esse paratis adversariis, statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum. Duae erant viae, qua ex Medis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hibernacula posset perveniri. 5 Quarum brevior per loca deserta, quae nemo incolebat propter aquae inopiam, ceterum dierum erat fere decem; illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa omniumque rerum abundans. 6 Hac si proficisceretur, intellegebat prius adversarios rescituros de suo adventu, quam ipse tertiam partem confecisset itineris; sin per loca sola contenderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. 7 Ad hanc rem conficiendam imperavit quam plurimos utris atque etiam culleos comparari, post haec pabulum, praeterea cibaria cocta dierum decem, ut quam minime fieret ignis in castris. Iter quod habeat, omnis celat. Sic paratus, qua constituerat, proficiscitur.

[IX] Dimidium fere spatium confecerat, cum ex fumo castrorum eius suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. Conveniunt duces; quaeritur, quid opus sit facto. Intellegebant omnes tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quam Antigonus adfuturus videbatur. 2 Hic omnibus titubantibus et de rebus summis desperantibus Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere et imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum. Nam quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio retardaretur. Quare circumirent, suas quisque contraheret copias. 3 Ad Antigoni autem refrenandum impetum tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obvii erant itineri adversariorum, hisque praecipit, ut prima nocte, quam latissime possint, ignis faciant quam maximos atque hos secunda vigilia minuunt, tertia perexiguos reddant 4 et assimulata castrorum consuetudine suspicionem iniciant hostibus, his locis esse castra ac de eorum adventu esse praenuntiatum; idemque postera nocte faciant. 5 Quibus imperatum erat, diligenter praeceptum curant. Antigonus tenebris obortis ignis conspicitur; credit de suo adventu esse auditum et adversarios illuc suas contraxisse copias. 6 Mutat consilium et, quoniam imprudentes adoriri non posset, flectit iter suum et illum anfractum longiorem copiosae viae capit ibique diem unum opperitur ad lassitudinem sedandam militum ac reficienda iumenta, quo integriore exercitu

decerneret.

[X] Sic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio, celeritatemque impedivit eius, neque tamen multum profecit. 2 Nam invidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque Macedonum veteranorum, cum superior proelio discessisset, Antigono est deditus, cum exercitus ei ter ante separatis temporibus iurasset se eum defensurum neque umquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent quam eum non perdere.

Fragmentum VI - Indi, gens populosa cultoribus et finibus maxima, procul a nobis ad orientem siti, prope oceani reflexus et solis exortus, primis sideribus, ultimis terris, super Aegyptios eruditos et Iudaeos superstitiosos et Nabathaeos mercatores et fluxos vestium Arsacidarum et frugum pauperes Ityraeos et odorum divites Arabas -- eorum igitur Indorum non aequae miror eboris strues et piperis messes et cinnami merces et ferri temperacula et argenti metalla et auri fluentia, nec quod Ganges apud eos unus omnium amnium maximus

 eis regnator aquis in flumina centum
 discurrit, centum valles illi oraque centum,
 oceanique fretis centeno iungitur amni,

nec quod isdem Indis, ibidem sitis, ad nascentem diem tamen in corpore color noctis est, nec quod apud illos immensi dracones cum immanibus elephantis pari periculo in mutuum perniciem concertant: quippe lubrico volumine indepti revinciunt, ut illis expedire gressum nequeuntibus vel omnino abrumpere tenacissimorum serpentium squameas pedicas necesse sit ultionem a ruina molis suae petere ac retentores suos toto corpore oblidere.

Sunt apud illos et varia colentium genera -- libentius ego de miraculis hominum quam naturae disseruerim --; est apud illos genus, qui nihil amplius quam bubulcitare novere, ideoque adgnomen illis bubulcis inditum. Sunt et mutandis mercibus callidi et obeundis proeliis strenui vel sagittis eminus vel ensibus cominus. Est praeterea genus apud illos praestabile, gymnosophistae vocantur. Hos ego maxime admiror, quod homines sunt periti non propagandae vitis nec inoculandae arboris nec proscindendi soli; non illi norunt arum colere vel aurum colare vel equum domare vel taurum subigere vel ovem vel capram tondere vel pascere.

Quid igitur est? Unum pro his omnibus norunt: sapientiam percolunt tam magistri senes quam discipuli iuniores. Nec quicquam aequae penes illos laudo, quam quod torporem animi et otium oderunt. Igitur ubi mensa posita, priusquam edulia adponantur, omnes adolescentes ex diversis locis et officiis ad dapem conveniunt; magistri perrogant, quod factum a lucis ortu ad illud diei bonum fecerint. Hic alius se commemorat inter duos arbitrum delectum, sanata simultate, reconciliata gratia, purgata suspicione amicos ex infensis reddidisse; itidem alius sese parentibus quaequam imperantibus oboedisse, et alius aliquid meditatione sua repperisse vel alterius demonstratione didicisse; . . . denique ceteri commemorant. Qui nihil habet adferre cur prandeat, inpransus ad opus foras extruditur.

Fragmentum XII - Psittacus avis Indiae avis est; instar illi minimo minus quam columbarum, sed color non columbarum; non enim lacteus ille vel lividus vel utrumque, subluteus aut sparsus est, sed color psittaco viridis et intimis plumulis et extimis palmulis, nisi quod sola cervice distinguitur. Enimvero cervicula eius circulo mineo velut aurea torqui pari fulgoris circumactu cingitur et coronatur. Rostris prima duritia: cum in petram quamquam concitus altissimo volatu praecipitat, rostro se velut ancora excipit. Sed et capitis eadem duritia quae rostri. Cum sermonem nostrum cogitur aemulari, ferrea clavicula caput

tunditur, imperium magistri ut persentiscat; haec discenti ferula est.

Discit autem statim pullus usque ad duos aetatis suae annos, dum facile os, uti conformetur, dum tenera lingua, uti convibretur: senex autem captus et indocilis est et obliviosus. Verum ad disciplinam humani sermonis facilius est psittacus glande qui vescitur et cuius in pedibus ut hominis quini digituli numerantur. Non enim omnibus psittacis id insigne, sed illud omnibus proprium, quod eis lingua latior quam ceteris avibus; eo facilius verba hominis articulant patientiore plectro et palato.

Id vero, quod didicit, ita similiter nobis canit vel potius eloquitur, ut, vocem si audias, hominem putes: nam corvum quidem si audias, dicas crocitare non loqui. Verum enimvero et corvus et psittacus nihil aliud quam quod didicerunt pronuntiant. Si convicia docueris, conviciabitur diebus ac noctibus perstrepens maledictis: hoc illi carmen est, hanc putat cantionem. Vbi omnia quae didicit maledicta percensuit, denuo repetit eandem cantilenam. Si carere convicio velis, lingua excidenda est aut quam primum in silvas suas remittendus est.

III, xxix - [36] Inde Asiae confinia, nisi ubi perpetuae hiemes sedent et intolerabilis rigor, Scythici populi incolunt, fere omnes et in unum Belcae adpellati. in Asiatico litore primi Hyperborei super aquilonem Riphaeosque montes sub ipso siderum cardine iacent; ubi sol non cotidie ut nobis sed primum verno aequinoctio exortus, autumnali demum occidit; ideo sex mensibus dies et totidem aliis nox usque continua est. [37] terra angusta aprica per se fertilis. cultores iustissimi et diutius quam ulli mortalium et beatius vivunt. quippe festo semper otio laeti non bella novere non iurgia, sacris operati maxime Apollinis, quorum primitias Delon misisse initio per virgines suas, deinde per populos subinde tradentes ulterioribus, moremque eum diu et donec vitio gentium temeratus est servasse referuntur. habitant lucos silvasque, et ubi eos vivendi satietas magis quam taedium cepit, hilares redimiti sertis semet ipsi in pelagus ex certa rupe praecipitant. id eis funus eximium est. [38] mare Caspium ut angusto ita longo etiam freto primum terras quasi fluvius inrumpit, atque ubi recto alveo influxit, in tres sinus diffunditur: contra os ipsum in Hyrcanium, ad sinistram in Scythicum, ad dextram in eum quem proprie totius nomine Caspium adpellant; omne atrox saevum sine portibus, procellis undique expositum, ac beluis magis quam cetera refertum et ideo minus navigabile. ad introeuntium dextram Scythae Nomades freti litoribus insident. [39] intus sunt ad Caspium sinum Caspii et Amazones sed quas Sauromatidas adpellant, ad Hyrcanium Albani et Moschi et Hyrcani, in Scythico Amardi et Pestici et iam ad fretum Derbices. multi in eo sinu magni parvique amnes fluunt, sed qui famam habeat [†] ex Ceraunis montibus uno alveo descendit, duobus exit in Caspium. [40] Araxes, Tauri latere demissus, quoad campos Armeniae secatur, labitur placidus et silens, neque in utram partem eat, quamquam intuearis, manifestus; cum in asperiora devenit, hinc atque illinc rupibus pressus, et quanto angustior tanto magis pernix frangit se subinde ad opposita cautium, atque ob id ingenti cum murmure sonansque devolvitur, adeo citus, ut qua ex praecipiti in subiecta casurus est, non declinet statim undam, sed ultra quam canalem habet evehat, plus iugeri spatio sublimis et aquis pendentibus semet ipse sine alveo ferens; deinde ubi incurvus arcuatoque amne descendit, fit tranquillus, iterumque per campos tacitus et vix fluens in id litus elabatur. [41] Cyrus et Cambyzes ex radicibus Coraxici montis vicinis fontibus editi [et] in diversa abeunt, perque Hiberas et Hyrcanos diu et multum distantibus alveis defluunt, post non longe a mari eodem lacu accepti in Hyrcanium sinum uno ore perveniunt. [42] Iaxartes et Oxos per deserta Scythiae ex Sugdianorum regionibus in Scythicum exeunt, ille suo fonte grandis, hic incurso aliorum grandior, et aliquamdiu ad occasum ab oriente occurrens iuxta Dahas primum inflectitur, cursuque ad septentrionem converso inter Amardos et Pesticos os aperit. [43] silvae alia quoque dira animalia verum et tigres ferunt utique Hyrcaniae, saevum ferarum genus et usque eo pernix, ut illis longe quoque praegressum equitem consequi nec tantum semel sed aliquotiens etiam cursu unde coeperit subinde repetito solitum et facile sit. causa ex eo est, quod ubi ille interceptos earum catulos citus coepit avehere, et rabiem adpropinquantium astu frustraturus unum de

pluribus omisit, hae proiectum excipiunt et ad cubilia sua referunt, rursumque et saepius remeant atque idem efficiunt, donec ad frequentiora quam adire audeant profugus raptor evadat. [44] ultra Caspium sinum quidnam esset, ambiguum aliquamdiu fuit, idemne oceanus an tellus infesta frigoribus sine ambitu ac sine fine proiecta. [45] sed praeter physicos Homerumque qui universum orbem mari circumfusum esse dixerunt [†] Cornelius Nepos ut recentior, auctoritate sic certior; testem autem rei Quintum Metellum Celerem adicit, eumque ita rettulisse commemorat: cum Galliae pro consule praeesset, Indos quosdam a rege Botorum dono sibi datos; unde in eas terras devenissent requirendo cognosse, vi tempestatum ex Indicis aequoribus abreptos, emensosque quae intererant, tandem in Germaniae litora exisse. restat ergo pelagus, sed reliqua lateris eiusdem adsiduo gelu durantur et ideo deserta sunt.

V (12) - Campestre iter est <in terra> inter Tigrin et Euphraten iacenti tam uberi et pingui, ut a pastu repellere pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resudante. (13) Ipsi amnes ex Armenia montibus profluunt ac magno deinde aquarum divortio iter, quod coeperunt, percurrunt: II milia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armenia montes notaverunt. (14) Iidem cum Mediae et Gordyaeorum terram secare coeperunt, paulatim in artius coeunt et, quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terrae relinquunt. (15) Vicini maxime sunt in campis, quos incolae Mesopotamiam appellant: mediam namque ab utroque latere cludunt. Tandem per Babyloniorum fines in Rubrum mare inrumpunt. (16) Alexander quartis castris ad Mennim urbem pervenit. Caverna ibi est, ex qua fons ingentem bituminis vim effundit, adeo ut satis constet Babylonios muros ingentis operis huius fontis bitumine interlitos esse. (17) Ceterum, Babylona procedenti Alexandro, Mazaeus, qui ex acie in eam urbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit urbem seque dedens. Gratus adventus eius regi fuit: quippe magni operis obsidio futura erat tam munitae urbis. (18) Ad hoc vir inlustris et manu promptus famaeque etiam proximo proelio celebris et ceteros ad deditionem suo incitaturus exemplo videbatur. Igitur hunc quidem benigne cum liberis excipit; (19) ceterum quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, ingredi suos iubet. Magna pars Babyloniorum constiterat in muris avida cognoscendi novum regem, plures obviam egressi sunt. (20) Inter quos Bagophanes, arcis et regiae pecuniae custos, ne studio a Mazaeo vinceretur, totum iter floribus coronisque constraverat, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quae non tunc modo sed omnibus odoribus cumulaverat. (21) Dona eum sequebantur greges pecorum equorumque; leones quoque et pardales caveis praeferebantur. (22) Magi deinde suo more carmen canentes, post hos Chaldaei Babyloniorumque non vates modo sed etiam artifices cum fidibus sui generis ibant, laudes hi regum canere soliti, Chaldaei siderum motus et statas vices temporum ostendere. (23) Equites deinde Babylonii suo equorumque cultu ad luxuriam magis quam ad magnificentiam exacto ultimi ibant. Rex armatis stipatus oppidanorum turbam post ultimos pedites ire iussit, ipse cum curru urbem ac deinde regiam intravit. Postero die supellectilem Darei et omnem pecuniam recognovit. (24) Ceterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modo sed etiam omnium oculos in semet haud immerito convertit. Samiramis eam condiderat, non, ut plerique credidere, Belus, cuius regia ostenditur. (32) Super arcem, vulgatum Graecorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt, summam murorum altitudinem aequantes multarumque arborum umbra et proceritate amoeni. (33) Saxo pilae, quae totum onus sustinent, instructae sunt; super pilas lapide quadrato solum stratum est patiens terrae, quam altam iniciunt, et humoris, quo rigant terras; adeoque validas arbores sustinet moles, ut stipites earum VIII cubitorum spatium crassitudine aequent, in L pedum altitudinem emineant frugiferaeque sint, ut si terra sua alerentur. (34)

Et cum vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat, haec moles, quae tot arborum radicibus premitur tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat: quippe XX <pedes> lati parietes sustinent XI pedum intervallo distantes, ut procul visentibus silvae montibus suis imminere videantur. (35) Syriae regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum memoriae proditum est, amore coniugis victum, quae desiderio nemorum silvarumque in campestribus locis virum compulit amoenitatem naturae genere huius operis imitari. (36) Diutius in hac urbe quam usquam constitit rex, nec alio loco disciplinae militari magis nocuit. Nihil urbis eius corruptius moribus, nihil ad irritandas inliciendasque immodicas cupiditates instructius. (37) Liberos coniugesque cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitii detur, parentes maritique patiuntur. Convivales ludi tota Perside regibus purpuratisque cordi sunt, Babylonii maxime in vinum et, quae ebrietatem sequuntur, effusi sunt. (38) Feminarum convivia ineuntium in principio modestus est habitus, dein summa quaeque amicula exuunt paulatimque pudorem profanant, ad ultimum - honos auribus habitus sit - ima corporum velamenta proiciunt. Nec meretricum hoc dedecus est sed matronarum virginumque, apud quas comitas habetur vulgati corporis vilitas. (39) Inter haec flagitia exercitus ille domitor Asiae per XXXIII dies saginatus ad ea, quae sequebantur, discrimina haud dubie debiliior futurus fuit, si hostem habuisset.

IX (9) Hinc praerapido amne superato ad interiora Indiae processit. (9) Silvae erant prope in immensum spatium diffusae procerisque et in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosae. (10) Plerique rami instar ingentium stipitum flexi in humum rursus, qua se curvaverant, erigebantur, adeo ut species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatae. (11) Caeli temperies salubris, quippe et vim solis umbrae levant et aquae large manant e fontibus. (12) Ceterum hic quoque serpentium magna vis erat squamis fulgorem auri reddentibus. Virus haud ullum magis noxium est: quippe morsum praesens mors sequebatur, donec ab incolis remedium oblatum est. (13) Hinc per deserta ventum est ad flumen Hyarotim. Iunctum erat flumini nemus opacum arboribus alibi inusitatis agrestiumque pavonum multitudine frequens. (14) Castris inde motis oppidum haud procul positum corona capit obsidibusque acceptis stipendium imponit. [...]

(31) Nobiles ad venandum canes in ea regione sunt; latratu abstinere dicuntur, cum viderunt feram, leonibus maxime infesti. (32) Horum vim ut ostenderet Alexandro, in consaeptum leonem eximiae magnitudinis iussit emitti et quattuor omnino admoveri canes, qui celeriter feram occupaverunt. Tum ex iis, qui adsueverant talibus ministeriis, unus canis leoni cum aliis inhaerentis crus avellere et, quia non sequebatur, ferro amputare coepit. (33) Ne sic quidem pertinacia victa rursus aliam partem secare institit et inde non segnus inhaerentem ferro subinde caedebat. Ille in vulnere ferae dentes moribundus quoque infixerat: tantam [in] illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam memoriae proditum est. (34) Equidem plura transcribo quam credo: nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi.

xxii - 1 Transactis igitur, quae ad saeptiones atque urbis statum et civilia pertinebant, contra Palmyrenos, id est contra Zenobiam, quae filiorum nomine orientale tenebat imperium, iter flexit. 2 Multa in itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis et in Illyrico occurrentes barbaros vicit, Gothorum quin etiam ducem Cannaban sive Cannabauden cum quinque milibus hominum trans Danuvium interemit. 3 Atque inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit eamque nullo certamine obtinuit.

xxiv - 1 Capta autem civitas (Thyana) est miro modo. Nam cum Heraclammon locum ostendisset aggeris naturali specie tumentem, qua posset Aurelianus occultus ascendere, ille conscendit atque elata purpurea clamide, intus civibus, foris militibus se ostendit, et ita civitas capta est, quasi totus in muris Aureliani fuisset exercitus. 2 Taceri non debet res, quae ad famam venerabilis viri pertinet. 3 Fertur enim Aurelianum de Thyanae civitatis eversione vere dixisse, vere cogitasse; verum Apollonium Thyanaeum, celeberrimae famae auctoritatisque sapientem, veterem philosophum, amicum vere deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum, recipienti se in tentorium, ea forma, qua videtur, subito adstitisse atque haec Latine, ut homo Pannonius intellegeret, verba dixisse: 4 «Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de civium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, a cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te age, si vis vivere». 5 Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus atque in multis eius imaginem viderat templis. 6 Denique statim adtonitus et imaginem et statuas et templum eidem promisit atque in meliorem redit mentem. 7 Haec et a gravibus viris comperi et in Ulpiae bibliothecae libris reperi et pro maiestate Apollonii magis credidi. 8 Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius diviniusque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam, ille multa ultra homines et fecit et dixit. Quae qui velit nosse, Graecos legat libros, qui de eius vita conscripti sunt. 9 Ipse autem, si vita suppetit atque ipsius viri favor iuverit, breviter saltem tanti viri facta in litteras mittam, non quo illius viri gesta munere mei sermonis indigeant, sed ut ea, quae miranda sunt, omnium voce praedicentur.

xxv - 1 Recepta Thyana, Antiochiam, proposita omnibus impunitate, brevi apud Daphnem certamine optinuit; atque inde praeceptis, quantum probatur, venerabilis viri Apollonii parens, humanior atque clementior fuit. 2 Pugnatum est post haec de summa rerum contra Zenobiam et Zabam eius socium apud Emessam magno certamine. 3 Cumque Aureliani equites fatigati iam paene discederent ac terga darent, subito vi numinis, quod postea est proditum, hortante quadam divina forma per pedites etiam equites restituti sunt. Fugata est Zenobia cum Zaba et plenissime parta victoria. 4 Recepto igitur orientis statu, Emesam victor Aurelianus ingressus est ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota soluturus. 5 Verum illic eam formam numinis repperit, quam in bello sibi faventem vidit. 6 Quare et illic templa fundavit, donariis ingentibus positis, et Romae Soli templum posuit maiore honorificentia consecratum, ut suo dicemus loco.

xxvi - 1 Post haec Palmyram iter flexit, ut ea oppugnata laborum terminus fieret. Sed in

itinere a latronibus Syris male accepto frequenter exercitu, multa perpessus est et in obsidione usque ad ictum sagittae periclitatus est. 6 Epistula ipsius extat ad Mucaporem missa, in qua de huius belli difficultate ultra pudorem imperialem fatetur: 3 «Romani me modo dicunt bellum contra feminam gerere, quasi sola mecum Zenobia et suis viribus pugnet, atque <non> hostium; <tantum> quantum si vir a me oppugnandus esset, <adest, sed sub fem>ina conscientia et timore longe deteriore. 4 Dicit non potest, quantum hic sagittarum est, qui belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum, nulla pars muri est, quae non binis et ternis ballistis occupata sit; ignes etiam tormentis iaciuntur. 5 Quid plura? Timet quasi femina, pugnat quasi <vir> poenam timen[te]s. Sed credo adiuturos Romanam Rem p. [vir] deos, qui numquam nostris conatibus defuerunt». 6 Denique fatigatus ac pro malis fessus litteras ad Zenobiam misit deditionem illius petens, vitam promittens, quarum exemplum indidi: 7 «Aurelianus imperator Romani orbis et receptor orientis Zenobiae ceterisque, quos societas tenet bellica. 8 Sponte facere debuistis id, quod meis litteris nunc iubetur. Deditionem enim praecipio impunitate vitae proposita, ita ut illic, Zenobia, cum tuis agas vitam, ubi te ex senatus amplissimi sententia conlocavero. 9 Gemmas, aurum, argentum, sericum, equos, camelos in Romanum aerarium conferatis. Palmyrenis ius suum servabitur».

xxvii - 1 Hac epistula accepta Zenobia superbius insolentiusque rescripsit quam eius quoque fortuna poscebat, credo ad terrorem. Nam eius quoque epistulae exemplum indidi: 2 «Zenobia regina Orientis Aureliano Augusto. Nemo adhuc praeter te hoc, quod poscis, litteris petiit. Virtute faciendum est quidquid in rebus bellicis est gerendum. 3 Deditionem meam petis, quasi nescias Cleopatram reginam perire maluisse quam in qualibet vivere dignitate. 4 Nobis Persarum auxillia non desunt, quae iam speramus, pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenii. 5 Latrones Syri exercitum tuum, Aureliane, vicerunt. Quid? Si igitur illa venerit manus, quae undique speratur, pones profecto supercilium, quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam victor, imperas». 6 Hanc epistulam Nicomachus se transtulisse in Graecum ex lingua Syrorum dicit ab ipsa Zenobia dictatam. Nam illa superior Aureliani Graeca missa est.

xxviii - 1 His acceptis litteris Aurelianus non erubuit, sed iratus est statimque collecto exercitu ac ducibus suis undique Palmyram obsedit neque quicquam vir fortis reliquit, quod aut imperfectum videretur aut incuratum. 2 Nam et auxilia, quae a Persis missa fuerant, interceptit et alas Saracenas Armeniasque corruptit atque ad se modo ferociter modo subtiliter transtulit, denique multa vi mulierem potentissimam vicit. 3 Victa igitur Zenobia cum fugeret cameliis, quos dromedas vocitant, atque in Aureliani potestatem deducta. 4 Victor itaque Aurelianus totiusque iam Orientis possessor, cum in vinculis Zenobiam teneret, cum Persis, Armeniis, Saracenis superbior atque insolentior egit ea, quae ratio temporis postulabat. 5 Tunc illatae vestes, quas in templo Solis videmus, consertae gemmis, tunc Persici dracones et t[h]iariae, tunc genus purpurae, quod postea nec ulla gens detulit nec Romanus orbis vidit. De qua pauca saltem libet dicere.

xxix - 1 Meministis enim fuisse in templo Iovis Optimi Maximi Capitolini pallium breve purpureum lanestre, ad quod cum matronae atque ipse Aurelianus iungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur ceterae divini comparatione fulgoris. 2 Hoc munus rex Persarum ab Indis interioribus sumptum Aureliano dedisse perhibetur, scribens:

«Sume purpuram, qualis apud nos est». 3 Sed hoc falsum fuit. Nam postea diligentissime et Aurelianus et Probus et proxime Diocletianus missis diligentissimis confectoribus requisiverunt tale genus purpurae nec tamen invenire potuerunt. Dicitur enim sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur.

xxx - 1 Sed ut ad incepta redeamus: ingens tamen strepitus militum fuit omnium, Zenobiam ad poenam poscentium. 2 Sed Aurelianus indignum aestimans mulierem interimi, occisis plerisque, quibus auctoribus illa bellum moverat, paraverat, gesserat, triumpho mulierem reservavit, ut populi Romani oculis esset ostentui. 3 Grave inter eos, qui caesi sunt, de Longino filosofo fuisse perhibetur, quo illa magistro usa esse ad Graecas litteras dicitur. Quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse, quod superbius illa epistula ipsius diceretur dictata consilio, quamvis Syro esset sermone contexta. 4 Pacato igitur oriente in Europam Aurelianus redit victor atque illic Carporum copias adflixit et, cum illum “Carpicum” senatus absentem vocasset, mandasse ioco fertur: «Superest, p. c., ut me etiam “Carpiscum” vocetis». 5 Carpiscum enim genus calciamenti esse satis notum est. <Quod> cognomen [quod] deforme videbatur, cum et Gothicus et Sarmaticus et Armeniacus et Parthicus et Adiabenicus iam ille diceretur.

xxxi - 1 Rarum est ut Syri fidem servant, immo difficile. Nam Palmyreni, qui iam victi atque contusi fuerant, Aureliano rebus Europensibus occupato, non mediocriter rebellarunt. 2 Sandarionem enim, quem in praesidio illic Aurelianus posuerat, cum sescentis sagittariis occiderunt, Achilleo cuidam parenti Zenobiae parantes imperium. 3 Verum adeo Aurelianus, ut erat paratus, e Rhodopa revertit atque urbem, quia ita merebatur, evertit. 4 Crudelitas denique Aureliani vel, ut quidam dicunt, severitas eatenus extitit, ut epistula eius feratur confessionem inmanissimi furoris ostentans. Cuius hoc exemplum est: 5 «Aurelianus Augustus Cerronio Basso. Iam satis Palmyrenorum caesum atque concisum est. Mulieribus non peperimus, infantes occidimus, senes iugulavimus, rusticos interemimus. 6 Cui terras, cui urbem deinceps relinquemus? Parcendum est his, qui remanserunt. Credimus enim tam paucos tam multorum suppliciis esse correctos. 7 Templum sane Solis, quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiae cum vexilliferis et draconario et cornicinibus atque liticinibus diripuerunt, ad eam formam volo, quae fuit, reddi. 8 Habes trecentas auri libras <de> Zenobiae capsulis, habes argenti mille octingenta pondo de Palmyrenorum bonis, habes gemmas regias. 9 Ex his omnibus fac cohonestari templum: mihi et diis immortalibus gratissimum feceris. Ego ad senatum scribam petens, ut mittat pontificem, qui dedicet templum». 10 Hae litterae, ut videmus, indicant satiatam esse inmanitatem principis duri.

Est locus in primo felix oriente remotus
qua patet aeterni maxima porta poli:
nec tamen aestivos hyemisque propinquus ad ortus
in quo sol verno fundit ab axe diem.
Illic planicies tractus diffundit apertos
nec tumulus crescit nec cava vallis hiat.
Sed nostros montes, quorum iuga celsa putantur
per bis sex ulnas eminent ille locus.
Hic solis nemus est, stat consitus arbore multa
lucus, perpetuae frondis honore virens.
Cum Phaetontaeis flagrasset ab ignibus axis,
ille locus flammis inviolatus erat:
et cum diluvium mersisset fluctibus orbem,
deucalionaeas exuperavit aquas.
Non huc exangues morbi, non aegra senectus,
nec mors crudelis nec metus asper adit,
nec scelus infandum nec opum vesana cupido
aut Mars, aut ardens caedis amore furor:
luctus acerbus abest et aegestas obsita pannis
et curae insomnes et violenta fames.
Non ibi tempestas nec vis horrida venti
nec rigido terram rore pruina tegit.
Nulla super campos tendit sua vellera nubes,
nec cadit ex alto timidus humor aquae.
Sed fons in medio est, quem vivum nomine dicunt,
perspicuus lenis, dulcibus uber aquis.
Qui semel erumpens per singula tempora mensum,
duodecies undis irrigat omne nemus.
Hic genus arboreum procero stipite surgens
non lapsura solo mitia poma gerit.
Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica Phoenix,
unica, sic vivit morte refecta sua.
Paret, et obsequitur Phoebos memoranda satellites.
Hoc natura parens munus habere dedit.
Lutea cum primum surgens aurora rubescit,
cum primum rosea sidera luce fugat;
ter quater illa pia immergit corpus in undas
ter quater e vivo gurgite libat aquam.

Tollitur ac summo consedit in arboris altae
 vertice, quae totum despicit una nemus;
et conversa novos Phoebi nascentis in ortus
 expectat radios et iubar exoriens.
Atque ubi sol pepulit fulgentis limina portae
 et primi emicuit luminis aura levis
incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
 et mira lucem voce ciere novam.
Quam nec aedoniae voces, nec tibia possit
 musica Cirrhaeis adsimulare modis;
sed neque olor moriens imitare nosse putatur,
 nec Cyllenaeae fila canorae lyrae.
Postquam Phoebus equos in aperta refudit Olympi
 atque orbem totum pertulit usque means,
illa ter alarum repetito verbere plaudit,
 igniferumque caput ter venerata, silet.
Atque eadem celeres etiam discriminat horas
 non errabilibus nocte dieque sonis.
Antistes nemorum, et luci veneranda sacerdos,
 et sola arcanis conscia, Phoebe, tuis,
quae postquam vitae iam mille peregerit annos,
 ac sic reddiderint tempora longa gravem;
ut reparet lassum spatiis urgentibus aevum,
 adsueti nemoris dulce cubile fugit.
Cumque renascendi studio loca sancta reliquit,
 tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longaeva volatus
 Phoenices nomen cui dedit ipsa Venus,
secretosque petit deserta per avia lucos
 hic ubi per saltus silva remota latet.
Tum legit aereo sublimem vertice palmam,
 quae Graium Phoenix ex ave nomen habet.
Quam nec dente potens animal perrumpere possit
 lubricus aut serpens aut avis ulla rapax.
Tum ventos claudit pendentibus Aeolus antris
 ne violent flabris aera purpureum;
neu concreta Noto per inania coeli
 submoveat radios solis, et obsit avi.
Construit inde sibi seu nidum, sive sepulcrum;
 nam perit, ut vivat ; se tamen ipsa creat.
Colligit hinc succos, et odores divite silva
 quos legit Assyrius, quos opulentus Arabs ;
quos aut Pygmeae gentes, aut India carpit,

aut molli generat terra Sabaea sinu.
Cinnama dehinc, auramque procul spirantis amomi
congerit, et mixto balsama cum folio.
Non casiae mitis, non olentis vimen achanti
nec thuris lacrimae, guttaque pinguis abest;
his addit teneras nardi pubentis aristas,
et sociam myrrhae pascua grata nimis.
Protinus instructo corpus mutabile nido,
vitalique toro membra quieta locat.
Ore dehinc succos membris circumque supraque
iniicit exsequiis immoritura suis.
Tunc inter varios animam commendat odores,
depositi tanti nec timet illa fidem.
[...]
Ac ubi primaeva coepit florere iuventa
evolat ad patrias iam reditura domos.
Ante tamen, proprio quicquid de corpore restat,
ossaque ,vel cineres, exuviasque suas,
unguine balsameo, myrrhaque et thure soluto
condit, et in formam conglobat ore pio :
quam pedibus gestans contendit solis ad ortus,
inque ara residens, ponit in aede sacra.
Mirandam sese prestat, praebetque videnti
tantus ibi decor est, tantus abundat honor.

XXXI, 2 - [1] Hunorum gens monumentis ueteribus leuiter nota ultra paludes Maeoticas glaciale oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit. [2] ubi quoniam ab ipsis nascendi primitiis infantum ferro sulcantur altius genae, ut pilorum uigor tempestius emergens conrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes absque ulla uenustate, spadonibus similes, compactis omnes firmisque membris et opimis ceruicibus, prodigiosae formae et pauendi, ut bipedes existimes bestias uel quales in conmarginandis pontibus effigati stipites dolantur incompte. [3] in hominum autem figura licet insuauis ita uisi sunt asperi, ut neque igni neque saporatis indigeant cibis sed radicibus herbarum agrestium et semicruda cuiusuis pecoris carne uescantur, quam inter femora sua equorumque terga subsertam fotu calefaciunt breui. [4] aedificiis nullis umquam tecti sed haec, uelut ab usu communi discreta sepulcra, declinant. nec enim apud eos uel arundine fastigatum reperiri tugurium potest. sed uagi, montes peragrantes et siluas, pruinas famem sitimque perferre ab incunabilis adsuescunt. peregre tecta nisi adigente maxima necessitate non subeunt: nec enim apud eos securos existimant esse sub tectis... [5] indumentis operiuntur linteis uel ex pellibus siluestrium murum consarcinatis, nec alia illis domestica uestis est, alia forensis. sed semel obsoleti coloris tunica collo inserta non ante deponitur aut mutatur quam diuturna carie in pannulos defluerit defrustata. [6] galeris incuruis capita tegunt, hirsuta crura coriis munientes haedinis, eorumque calcei formulis nullis aptati uetant incedere gressibus liberis. qua causa ad pedestres parum adcommodati sunt pugnas, uerum equis prope adfixi, duris quidem sed deformibus, et muliebriter isdem non numquam insidentes funguntur muneribus consuetis. ex ipsis quiuis in hac natione pernox et perdiu emit et uendit, cibumque sumit et potum, et inclinatus ceruici angustae iumentum in altum soporem ad usque uarietatem effunditur somniorum. [7] et deliberatione super rebus proposita seriis, hoc habitu omnes in commune consultant. aguntur autem nulla seueritate regali sed tumultuario primatum ductu contenti perrumpunt quicquid inciderit. [8] et pugnant non numquam lacessiti sed ineuntes proelia cuneatim uariis uocibus sonantibus toruum. utque ad pernecitatem sunt leues et repentini, ita subito de industria dispersi uigescunt, et inconposita acie cum caede uasta discurrunt, nec inuadentes uallum nec castra inimica pilantes prae nimia rapiditate cernuntur. [9] eoque omnium acerrimos facile dixeris bellatores, quod procul missilibus telis, acutis ossibus pro spiculorum acumine arte mira coagmentatis, et distantia percursa comminus ferro sine sui respectu confligunt, hostisque, dum mucronum noxias obseruant, contortis laciniis inligant, ut laqueatis resistentium membris equitandi uel gradiendi adimant facultatem. [10] nemo apud eos arat nec stium aliquando contingit. omnes enim sine sedibus fixis, absque lare uel lege aut uictu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant: ubi coniuges taetra illis uestimenta contexunt et coeunt cum maritis et pariunt et ad usque pubertatem nutriunt pueros. nullusque apud eos interrogatus respondere, unde oritur, potest, alibi conceptus, natusque procul, et longius educatus. [11] per indutias infidi inconstantes ad

omnem auram incidentis spei nouae perquam mobiles, totum furori incitatissimo tribuentes. inconsultorum animalium ritu, quid honestum inhonestumue sit penitus ignorantes, flexiloqui et obscuri, nullius religionis uel superstitionis reuerentia aliquando districti, auri cupidine immensa flagrant, adeo permutabiles et irasci faciles ut eodem aliquoties die a sociis nullo inritante saepe desciscant, itidemque propitientur nemine leniente.

XIV, III - [14] Babyloniae regionis caput Babylon urbs est, a qua et nuncupata, tam nobilis ut Chaldaea et Assyria et Mesopotamia in eius nomen aliquando transierint. [15] Arabia appellata, id est sacra; hoc enim significare interpretatur, eo quod sit regio turifera, odores creans: hinc eam Graeci εὐδαίμωνα, nostri beatam nominaverunt. In cuius saltibus et myrrha et cinnamum provenit: ibi nascitur avis phoenix, sardonix gemma, et iris, molochites et paederota ibi invenitur. Ipsa est et Saba, appellata a filio Chus, qui nuncupatus est Saba. Haec autem angusto terrae tractu ad orientem versus ad Persicum sinum extenditur, cuius septentrionalia Chaldaea claudit, occasum sinus Arabicus. [16] Syriam Syrus quidam perhibetur indigena a suo vocabulo nuncupasse. Haec ab oriente fluvio Euphrate, ab occasu mari nostro et Aegypto terminatur, tangens a septentrione Armeniam et Cappadociam, a meridie sinum Arabicum. Situs eius porrectus in inmensam longitudinem, in lato angustior. [17] Habet autem in se provincias Commagenam, Phoeniciam et Palaestinam, cuius pars est Iudaea absque Sarracenis et Nabatheis. Commagena prima provincia Syriae a vocabulo Commagae urbis nuncupata, quae quondam ibi metropolis habebatur. Huius est a septentrione Armenia, ab ortu Mesopotamia, a meridie Syria, ab occasu mare Magnum. [18] Phoenix Cadmi frater de Thebis Aegyptiorum in Syriam profectus apud Sidonem regnavit, eamque provinciam ex suo nomine Phoeniciam appellavit. Ipsa est ubi est Tyrus, ad quem Esaias loquitur. Habet autem ab oriente Arabiam, a meridie mare Rubrum. [19] Palaestina provincia Philistim urbem metropolim habuit, quae nunc dicitur Ascalon, ex qua civitate omnis circa eam regio Palaestina est nuncupata. Huius ab oriente mare Rubrum occurrit, a meridiano latere Iudae excipitur, a septentrionali plaga Tyrriorum finibus clauditur, ab occasu Aegyptio limite terminatur. [20] Iudaea regio Palaestinae ex nomine Iudae appellata, ex cuius tribu reges habuit. Haec prius Chanaan dicta a filio Cham, sive a decem Chananaeorum gentibus, quibus expulsis eandem terram Iudaei possiderunt. Initium longitudinis eius a vico Arfa usque ad vicum Iuliadem porrigitur, in quo Iudaeorum pariter ac Tyrriorum communis habitatio est. Latitudo autem eius a monte Libani usque ad Tiberiadis lacum extenditur. [21] In medio autem Iudaeae civitas Hierosolyma est, quasi umbilicus regionis totius. Terra variarum opum dives, frugibus fertilis, aquis inlustris, opima balsamis. Vnde secundum elementorum gratiam existimaverunt Iudaei eam promissam patribus terram fluentem mel et lac, cum hic illis Deus resurrectionis praerogativam polliceretur. [22] Samaria regio Palaestinae ab oppido quodam nomen accepit qui vocabatur Samaria, civitas quondam regalis in Israel, quae nunc ab Augusti nomine Sebastia nuncupatur. Haec regio inter Iudaeam et Galilaeam media iacet, incipiens a vico cui nomen est Eleas, deficiens in terra Agrabath. Situs eius natura consimili nec ullo differens a Iudaea. [23] Galilaea regio Palaestinae vocata quod gignat candidiores homines quam Palaestina. Haec autem duplex est, superior et inferior, sibi tamen conexae, Syriae et Phoeniciae adhaerentes. Terra earum opima et ferax et fructibus satis fecunda. [24] Pentapolis regio in confinio Arabiae et

Palaestinae sita, dicta a quinque civitatibus impiorum quae caelesti igne consumptae sunt. Terra amplius ab Hierosolymis olim uberrima, nunc autem deserta atque exusta; nam pro scelere incolarum de caelo descendit ignis, qui regionem illam in cineres aeternos dissolvit. [25] Cuius umbra quaedam et species in favillis et arboribus ipsis etiam adhuc videtur. Nascuntur enim ibi poma virentia sub tanta specie maturitatis, ut edendi desiderium gignant; si carpas fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque exhalant quasi adhuc ardeant. [26] Nabathea regio a Nabeth filio Ismael nuncupata. Iacet autem inter Iudaeam et Arabiam, et surgens ab Euphrate in mare Rubrum porrigitur, et est pars Arabiae. [...]

[29] Seres oppidum orientis, a quo et genus Sericum et regio nuncupata [est]. Haec ab Scythico Oceano et mari Caspio ad Oceanum orientalem inflectitur, nobilibus frondibus fertilis, e quibus vellera decerpuntur, quae ceterarum gentium Seres ad usum vestium vendunt. [30] Bactriae regionis proprius amnis Bactros vocabulum dedit. Partes huius quae planae sunt Propanisi iugis ambiuntur, quae adversae sunt, Indi fluvii fontibus terminantur; reliqua includit Ochus fluvijs. Mittit Bactria fortissimos camelos numquam adterentes pedes. [31] Scythia sicut et Gothia a Magog filio Iaphet fertur cognominata. Cuius terra olim ingens fuit; nam ab oriente India, a septentrione per paludes Maeotides inter Danubium et Oceanum usque ad Germaniae fines porrigebatur. Postea vero minor effecta, a dextra orientis parte, qua Oceanus Sericus tenditur, usque ad mare Caspium, quod est ad occasum; dehinc a meridie usque ad Caucasi iugum deducta est, cui subiacet Hyrcania ab occasu habens pariter gentes multas, propter terrarum infecunditatem late vagantes. [32] Ex quibus quaedam agros incolunt, quaedam portentuosae ac truces carnibus humanis et eorum sanguine vivunt. Scythiae plures terrae sunt locupletes, inhabitabiles tamen plures; nam dum in plerisque locis auro et gemmis affluant, gryphorum inmanitate accessus hominum rarus est. Smaragdis autem optimis haec patria est: cyaneus quoque lapis et crystallus purissimus Scythiae est. Habet et flumina magna Moschorum, Phasiden atque Araxen. [33] Hyrcania dicta a silva Hyrcana, quae Scythiae subiacet, habens ab oriente mare Caspium, a meridie Armeniam, a septentrione Albaniam, ab occasu Iberiam. Est autem silvis aspera, copiosa inmanibus feris, tigribus pantherisque et pardis. De qua Vergilius:¹

Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

¹ Aen. 4, 367.

4. Mongalorum autem siue Tartarorum forma ab omnibus alijs hominibus est remota. Inter oculos enim, et inter genas, lati sunt plus cæteris, genæ quoque satis prominent a maxillis. Nasum habent planum et modicum, oculos etiam paruos, et palpebras vsque ad supercilia eleuatas, ac super verticem in modum Clericorum coronas. Ex vtraque parte frontis tondendo, plusquam in medio crines longos faciunt, reliquos autem sicut mulieres crescere permittunt. De quibus duas cordas faciunt, et vnamquamque post aurem ligant. Pedes quoque modicos habent. Vestes tam virorum quam mulierum vno modo formatæ sunt. Pallijs vel cappis vel caputiis non vtuntur.

Tunicas vero miro modo formatas portant de buccaramo, vel purpurato, vel baldaquino. Pellicium habet pilos exterius, sed apertum est a posterioribus. Habet tamen caudulam vnam vsque ad genua retro. Vestes suas non lauant, nec lauari permittunt, et maxime a tempore, quo tonitrua incipiunt vsquequo desinat illud tempus. Stationes habent rotundas in modum tentorij de virgulis et baculis subtilibus præparatas. Supra vero in medio rotundam habent fenestram, vnde ingrediatur lumen, et fumus exire possit: quia semper in medio faciunt ignem: parietes autem et tecta filtro sunt operta. Ostia quoque de filtro sunt facta. Harum quædam subito soluuntur, et reparantur, et super summarios deferuntur: quædam vero dissolui non possunt sed in curribus portantur. Et quocunque siue ad bellum siue alias vadunt, semper illas secum deferunt. In animalibus valde diuites sunt, vt in camelis et bobus capris et ouibus. Iumenta et equos habent in tanta multitudine quantam non credimus totum mundi residuum habere. Porcos autem et alias bestias non habent. Imperator ac Duces atque alij magnates in auro et argento ac serico et gemmis abundant. Cibi eorum sunt omnia, quæ mandi possunt. Vidimus eos etiam manducare pediculos. Lac bibunt animalium, et in maxima quantitate, si habent, iumentinum. Porro in hyeme, quia nisi diuites sint, lac iumentinum non habent, millium cum aqua decoquunt, quod tam tenue faciunt, vt illud bibere valeant. Vnde quilibet eorum scyphum bibit vnum vel duos in mane, et quandoque nihil amplius manducant in die. In sero autem vnicuique datur de carnibus modicum, et bibunt ex eis brodium. Porro in æstate quando satis habent de lacte iumentino carnes comedunt raro, nisi forte donentur eisdem, aut venatione bestiam aliquam ceperint vel auem.

5. Habent autem mores quosdam quidem commendabiles, et quosdam detestabiles. Magis quippe sunt obedientes Dominis suis, quam aliqui qui in mundo sint homines, siue religiosi siue seculares. Nam eos maxime reuerentur, nec illis de facili mentiuntur verbis factisue: raro vel nunquam ad inuicem contendunt, bellaque vel rixæ, vulnera vel homicidia nunquam inter eos contingunt. Prædones etiam ac fures rerum magnarum ibi nequaquam inueniuntur, ideoque stationes et currus eorum, vbi thesauros habent, seris aut vectibus non firmanantur. Si aliqua bestia perdita fuerit, quicunque inuenit eam vel dimittit, vel ad illos, qui ad hoc positi sunt, eam ducit. Apud quos ille, cuius est bestia, illam requirit, et absque vlla difficultate recipit. Vnus alium satis honorat, et familiaritatem ac cibaria, quamuis apud eos

sint pauca, liberaliter satis communicat. Satis etiam sunt sufferentes, nec cum ieiunauerint vno die, vel duobus, omnino sine cibo, videntur impatientes, sed cantant et ludunt, ac si bene comedissent. In equitando multum sustinent frigus, calorem quoque nimium patiuntur. Inter eos quasi nulla placita sunt, et quamuis multum inebrientur, tamen in ebrietate sua nunquam contendunt. Nullus alium spernit, sed iuuat et promouet, quantum congrue potest. Castæ sunt eorum mulieres, nec aliquid inter eos auditur de ipsarum impudicitia. Quædam tamen turpia satis habent et impudica. Porro erga cæteros homines ijdem Tartari superbissimi sunt, omnesque nobiles et ignobiles quasi pro nihilo reputantes despiciunt. Vnde vidimus in curia Imperatoris magnum Russiæ ducem, et filium regis Georgianorum, ac Soldanos multos et magnos nullum honorem debitum recipere apud eos. Quinetiam Tartari eisdem assignati, quantumcunque viles essent illos antecedeabant, semperque primum locum et summum tenebant, immo etiam sæpe oportebat illos post eorum posteriora sedere. Præterea iracundi sunt, et indignantis naturæ multum erga cæteros homines, et vltra modum erga eosdem mendaces. In principio quidem blandi sunt, sed postmodum vt scorpiones pungunt. Subdoli enim et fraudulentissimi sunt, et omnes homines si possunt astutia circumueniunt. Quicquid mali volunt eis facere, miro modo occultant, vt sibi non possint prouidere, vel contra eorum astutias remedium inuenire. Immundi quoque sunt in cibo et potu sumendis, et in cæteris factis suis. Ebrietas apud illos est honorabilis: cumque multum aliquis biberit, ibidemque reijcit, non ideo cessat, quin iterum bibat. Ad petendum maximi sunt exactores, tenacissimi retentores, parcissimi donatores. Aliorum hominum occisio apud illos est pro nihilo.

6. Hoc autem habent in lege siue consuetudine, vt occidant viros et mulieres, si quando inueniantur in adulterio manifeste. Similiter etiam virginem, si fornicata fuerit cum aliquo, occidunt eam cum eo. Præterea si aliquis in præda vel furto manifesto inuenitur, sine vlla miseratione occiditur. Item si quis denudauit consilia, maxime quando volunt ad bellum procedere, dantur ei super posteriora centum plagæ, quanto maiores vnus rusticus cum magno baculo potest dare. Similiter cum aliqui de minoribus offendunt in aliquo, non eis a maioribus suis parcutur, sed verberibus grauiter affliguntur.

Anecdota

LXXIII - [*De Cumis Aeolicis*] Cuma Aeolicarum urbium maxima et optima et omnium fere metropolis, quas numero triginta fuisse tradunt. Quarum maxima pars corrui.

Cumanos insulsos et hebetes homines putavere, qui post trecentos annos ab urbe condita portoria exegerunt, tamdiu proventum eiusmodi non cognovere. Feruntur etiam publica pecunia mutuo recepta porticum construxisse, cumque die constituta pecuniam non reddidissent, a deambulatione fuisse prohibitos. Creditores vero cum plueret edictum misisse ut Cumani porticum subirent. Ex quo proverbium factum est, Cumanos non sentire porticum in pluvia subeundum esse, nisi prece ammoneret.

Analogiae

LXXVI - [*De Samo*] Syloson privatus relictus, cum Dario Histaspis filio priusquam regnaret vestem quam ferebat cupienti largitus esset, ab eo regnum consecutus, Sami tyrannidem obtinuit, qui acerbè imperans urbem hominibus viduavit. Ex quo proverbium fecerunt: «Sylosontis opera locus amplius est», quod de multis Italiae civitatibus nostro tempore dici potest! Nam et Pisa in Etruria Florentinorum, et Sena paucorum civium opera facta est ampla; amplior Aquileia atque Ravenna apud Adriaticum sinum, amplissima iuxta Tiberim Roma non sine culpa suorum civium.

LXXVII - [*De Epheso*] Templum asylum erat, cuius libertatis termini saepe mutati sunt. Alexander ad stadium extendit, Mithridates paululum plus addidit, Antonius etiam urbis partem comprehendit, Augustus Caesar id irritum fecit quod multis causam malefaciendi praestabat.

Sentiunt id Romani apud quos tot sunt asyla quot cardinalium aedes, in quibus servati fures atque sicarii urbem alioquin pacatam et nobilem veluti latronum speluncam efficiunt.

Mulieres

XXVI [*De situ Mediae*] Magna ex parte Armeniis similes. Omnes in Venerem profusi: regibus multas habere uxores mos fuit, nec pauciores quam septem; mulieres quoque pulchrum sibi existimarunt ut viris nubere quam pluribus: paucioribus quam quinque calamitosum putavere.

In Phanagoria templum fuisse insigne tradunt, Veneris Apaturiae fabulam afferentes quod cum gigantes Venerem adorirentur, illa Hercule invocato tamdiu latebris quibusdam latitaverint, donec gigantes singillatim dolo excipiens occidendos exhibuerit Herculi: nulla enim mulier tam sui corporis prodiga est ut vim libenter admittat, et saepe dolis potentia succumbit.

De Amazonibus

XX - Strabo de Amazonibus non satis certam sententiam fert et quod Thalestris regina prolis gratia cum Alexandro in Hyrcania permixta fuerit incertum dicit, et rerum scriptores inter se discordare, nec fide dignum esse Clitarchum qui Thalestrim scribit, a Caspiis portis et Thermodonte profectam ad Alexandrum venisse, cum Caspiae portae supra sex milia stadiorum distent a Thermodonte. Nec verisimile censet vel exercitum, vel civitatem, vel gentem umquam ex solis mulieribus constituisse, quae sua custodierint et aliena invaserint, vicinisque subactis usque in Ioniam processerint et exercitum trans Pontum in Atticam miserint, quod perinde sit ac si quis dicat viros tunc mulieres fuisse et mulieres viros. Suo autem tempore paucos fuisse qui traderent ubi Amazones essent et id quidem sine demonstratione.

Nobis non impossibile videtur quod prisci scriptores de Amazonibus tradiderunt quia et in Bohemia tenuisse feminas principatum legimus et in Hungaria Mariam viriliter imperasse, quae non reginam sed regem se appellavit. In regno Neapolitano duas Iohannas rerum potitas scimus, quarum altera nostra aetate, altera paulo ante res magnas gessit. Sed puella Franciae, de qua suo loco dicemus, non parum dubietatis aufert, cuius ductu saepe Anglorum copiae nostro aevo profligatae fuerunt. Sub Claudio imperatore Secundo, qui de Gothis magnificentissime triumphavit, decem mulieres ante currum ductae fuerunt quae in bello captae virilem habitum gestabant et Amazonum genus esse putabantur. Nunc de his nulla cognitio apud nos est nec affirmare tam vetusta neque negare audemus, nec miramur antiquissimarum rerum scriptores inter se discordare, quando nec novissima uno modo referuntur.

Qualiter urbs Constantinopolis anno LIII a Turcis depredata fuit et subiugata - Imperator Theucrorum, adolescens ferocissimus, et, ut dicunt, in pactis perfidus, Christiani nominis persecutor acerrimus et Machameticae pravitatis zelocissimus ampliatus, qui et ipse Machameta nomen habet et a suis 'magnus a[d]mira'² dicitur, aestate praeterita, scilicet quae istam praecessit, cum exercitu maximo Constantinopolim obsedit et omnibus castris et munitionibus, quae in circuitu erant, expugnatis et captis, in eisque plurimis suorum dimissis, in mense Augusti ad patriam suam rediit. Et post septem menses rediit cum CCC milibus armatorum inter pedites et equites, habens praeparatas galeas inter parvas et magnas CCXX. Bombardas plures quam mille adduxit, inter quas erant tres generales: prima enim proiebat lapidem <un>decem palmatarum in circuitu, qui MCCCC libras ponderabat, secunda lapidem decem palmatarum et MCC librarum, tertia novem palmatarum et M librarum. Habuit et alias magnas et colubrinas infinitas. Per has autem bombardas tres maiores LI diebus sine intermissione Constantinopolim oppugnavit; similiter et per alias et infinitas et alia ingenia. Per illas autem tres maiores, quibus bene DCC lapides contra diversas partes muri Urbis proiecit, in diversis locis muros rupit et desuper alia egit quae incredibilia et vix humano ingenio possibilia viderentur.

Fuit enim tempestive provisum quod portus Constantinopolitanus cathena fortissima clauderetur, ne Theucrorum naves introirent, et ad custodiam cathenae ordinatae fuerunt illic quinque galeae Venetorum et XII magnae naves cum instrumentis, armis et custodibus necessariis. Quod videns imperator Theucrorum fecit de navibus suis LXX extrahi de mari et eas super ligna rotunda, quae ad hoc fieri praeceperat et substerni, per montes et per colles circumeundo urbem plus quam per tria miliaria duci fecit, erectis etiam velis et vexillis et cetera, ac si super mare ducerentur. Et ita deduci fecit citra Constantinopolim, absque hoc quod transirent cathenam. Istud facilius intellegunt qui viderunt situm portus. Deinde construxit pontem ligneum super mare, qui adhuc manet, fecitque CCC turres ligneas, quarum aliquae quodam ingenio ab armatis intus existentibus movebantur, quas ad muros urbis, quos in altitudine excedebant, applicabant. In aliquibus autem partibus, repletis fossatis, turres terrae infixit. Et ita undique urbem ipsam LI diebus sine intermissione expugnavit; scalas etiam habuit innumerabiles...

Per has autem scalas et ex his turribus quas applicari fecit ad partes muri diruptas, quinquagesima secunda die, quae fuit XXIX dies Maii novissime praeteriti, cum tota die et nocte praecedenti insultus factus fuisset asperius nostrique prae labore defatigati fuissent, Theucrorum exercitus augetur et innovaretur momentis singulis, Turci violenta manu per murorum rupturas urbem victores intraverunt et post innumerabilem Christiani sanguinis effusionem reliqui omnes qui superfuerant capti sunt. Inter quos eos, qui nobiles fuerant,

² Isidorus Archiepiscopus Kiovensis: «Machometa hic iuvenis, Turchorum dominus, magnus amira nuncupatus».

quorum erat magna multitudo, licet eis dixisset quod servaverit eis vitam, in conspectu suo una cum filiis et uxoribus suis fecit occidi crudelissime: nam uxores et filios in praesentia parentum et maritorum fecit occidi et postea viros ipsos, eo videndo [*sic*], fecit in frusta minutatim conscidi foeminasque virgines et moniales violari et inhumanissime tractari, qualiter nec pecudes tractarentur. Plurimos autem de parvulis ac puellis popularibus vendidit et totam urbem infra paucos dies fere omni habitatione evacuavit: mechanicos autem et praesertim fabros et constructores navium vivos reservavit et eos sibi operari instituit.

Dum itaque coram eo sanguis Christianus ita funderetur, apportata sunt in conspectu eius in tribus lanceis per tres Turcos tria capita, quorum unum erat imperatoris Constantini, aliud cuiusdam militis Turci qui contra Turcos cum christianis urbem viriliter defenderat et tertium erat cuiusdam senis barbati monachi de ordine S. Pauli, quod eidem dicebatur esse caput, cardinalis rutheni, licet in veritate non fuerit, -- qui qualiter ex illo excidio evaserat postea dicam.

Quae autem nefanda commiserunt in sacras ecclesias, reliquias et sanctorum imagines, horribile est dicere. Nam omnia templa Urbis spoliaverunt et imaginem quandam beatae virginis manu beati Lucae factam, quae in maxima veneratione habebatur, detractis gemmis, argento et auro, quae erant in circuitu, per civitatem ignominiose traxerant eamque sordidis pedibus conculcantes tandem in frusta confregerunt, corpusque beatae Theodosiae virginis, quod illic maximis miraculis crebro claruit, omnesque alias sanctorum reliquias, quae paene innumerabiles erant, laniantes peciatim³ canibus tradiderunt et in lutum proiecerunt. Ecclesiamque illam insignem Sanctae Sophiae, cui parem non habet nostra religio, imperator sibi in moscheam, ut suo utar vocabulo, <fecit>; paramenta altarium, stolas et tapetas, in quibus depicta erant miracula Christi vel Christus aut beata Virgo, pedibus conculcabant et permingebant et alias foedissime pertractabant, deridentes nostram fidem, crucemque quae erat in sublimitate templi deicientes confregerunt; flamines etiam eorum in sacra altaria ascendentes <Machametam ipsum hymnis et laudibus extollebant> et ut maximum prophetam ei christianae fidei destructorem praedicabant.

³ Du Cange : «PECIA, PETIA : Fragmentum, frustum, membrum».

INDI

I - Quo tempore Gamma ad Calecutanam oram est appulsus,
in ea Malabaribus parte hiemis erat initium, cum altera quae ad ortum est,
maximis iam tum caloribus aestuaret.

Itaque, licet periculosum admodum in salo stationem esse intelligeret,
subeundos tamen portus nisi ex Malabarici Regis auctoritate
nequaquam existimavit.

Is Rex in primis Indiae clarus perhibetur ac potens:
quippe quem ceteri eius tractus Reges principem ac superiorem agnoscunt,
et patrio sermone ZAMORINVM, id est Imperatorem appellant.

Is quattuor ordinum homines habet in suo regno:
dynastas ac satrapas, quos vulgo Caimales vocant,
sacrorum antistites et procuratores.

Ii, vestustissimae originis et nominis Brachmanes sunt.

Rei bellicae studiosos e nobilitate dumtaxat; qui Naires dicuntur.

Quartum obtinent locum opifices et agricolae.

Reliquum vulgus institorum est, magna ex parte

Arabum, Persarumque et Aegyptiorum, ex haeresi Mahometana et Judaica,
qui pretiosis mercibus admirabili solertia et peritia permutantibus,
ad amplas ferme opes pecuniasque perveniunt.

Ceterum apud omnes praecipuo in honore

Brachmanae sunt, patetque ea secta latissime.

Horum scitis omnia publica et privata sacra subiecta sunt.

Hi caerimonias et iusta funebria suo arbitratu praescribunt,

iidemque, magno suo quaestu, prodigia, sortes, auguria et omnia interpretantur.

Horum disciplina institutisque Reges ipsi imbuuntur,

omnibus magnis parvisque in rebus, mirandum in modum illis obnoxii.

Sed non unum est Brachmanum genus.

Quippe alii liberis operam dant vivuntque in hominum frequentia,

alii caelibem agunt vitam, quos hodie Jogues appellant

(Gymnosophistas olim Graeci dixere).

Iique, partim longissime peregrinantur, stipem emendicantes;

et victus vestitusque asperitate nacti existimationem ac fidem,

credulas hominum mentes portentosis mendaciis

⁴ Felix Sanchez Vallejo SJ: «Perspicuum est nostram hanc linearum dispositionem, adiunctis titulis, per quos lectio levior fiat, novitatem perspicuam, immo nitorem hisce textibus restituere, quos proinde operae pretium erit non aestimare tantummodo atque laudare, sed non oscitanter semel et iterum legere».

variisque superstitionibus in fraudem impellunt:
partim in solitudinibus aviis, et subterraneis specubus
durissimo vitae genere, inedia, vigilia, nuditate, frigoris aestusque patientia
semet ipsi discruciant abstinentque ab omni corporis voluptate
ad certum annorum spatium;
quo exacto, in Abduos (id nomen ordini) magna cum gloria referuntur.
Ii, tamquam humano fastigio celsiores,
et omnium rerum licentiam adepti, nullis iam tenentur legibus,
et in omni scelerum et flagitiorum genere volutantur.
Est etiam Jovis rector maximus, qui vectigalia perampla dispensat,
vocatosque ad se certis temporibus impostores,
varias in regiones ad praedicanda impiae vanitatis deliramenta dimittit.
Hosce omnes mirum quam dense in caligine
et quanta in veritatis ignoratione demersos diabolus teneat.
Parabrammam nescio quem Deorum antiquissimum colunt,
et ex eo filios tres, quorum in gratiam terna fila gerunt e colo suspensa.
Multis praeterea non hominibus modo, sed etiam animantibus,
caelestes habent honores et templa aedificant,
quibus in prisca Romanae Urbis magnificentia vix quidquam simile exstiterit.
Sane fanum est simio dicatum, cuius dumtaxat pecori
in victimarum usum custodiendo,
porticus miram in longitudinem excurrit,
columnarum septingentarum e marmore, tantae magnitudinis,
ut Agrippae columnas,
quae in celeberrimo quondam omnium deorum templo
Romae visuntur, sine dubio adaequant.
Elephantis etiam religionem numinis tribuunt;
bobus autem eo maiorem, quod hominum vita functorum animos
in eam maxime beluam immigrare opinantur.
Multos habent suarum superstitionum libros,
magno labore studioque conscriptos :
quae omnia nonnihil ad veteris Graeciae fabulas
et auguralem Etruriae disciplinam videntur accedere.
Hi libri ne in vulgus prodeant, cavent quam diligentissime,
sed ex iis, arbitrato suo, depromunt quae ad populum decipiendum
in concionibus vel in privatis colloquiis
contracto supercilio et magna pompa verborum edisserant.
[...]
Naires autem, penes quos totius rei militaris est cura,
ut septimum circiter aetatis annum attigere,
teneri corpusculi nervis diu multumque distentis, laxatisque compagibus,
adhibita frequenti unctione sesamini olei, per aliptas peritissimos,
ad agilitatem paene incredibilem perducuntur.

Itaque velut exosses artus omnem in partem arbitrato suo torquere ac flectere,
saltus retrorsum aequae atque in adversum longissimos edere,
et in lucta varios nexus pariter implicare atque explicare condiscunt.

Armis vero, a pueritia ad ultimam usque aetatem,
summa cura exercentur, singuli ferme singulis, haud absurda ratione,
quod ita persuasum habeant
neminem unum simul pluribus posse rebus excellere.

[...]

Longe miserrima condicio est agricolarum et opificum: siquidem
praeter quotidianas operas quibus aegre sese familiasque sustentant,
quod initio quisque sortitus est vitae genus
in eo ad mortem usque persistere cogitur.

Nec modo ad altiores umquam gradus evadendi,
sed ne ad alias quidem artes quaestusve se transferendi spes ulla relinquitur.

Atque id vetus esse institutum patet ex Arriano,
qui res etiam Indicas graeco sermone conscripsit.

Quare adeo contempti abiectique sunt,
ut superiorem ordinum homines ne rectis quidem oculis audeant intueri.

Quodsi in turba, ut fit, ad aliquem forte Nairem propius accesserint,
male mulctantur, idque ne accadat,

per antecedentes famulos turbam submovent Naires;

et cum alibi, tum praesertim ad viarum flexus, se adesse clara voce denuntiant:
tanta Indicae nobilitati superbia, tam barbarus inest fastus:

atque id est causae cur christianam disciplinam pessime oderint,
cuius praecipua laus in hominum caritate animique moderatione consistit.

Arma erant olim hasta, sagittae, gladius, clypeus;

verum post invectas illuc recentiores humani ingenii fraudes machinasque,
totam conflandi, temperandi, liberandi rationem ita percalluere,

ut omnibus, maioribus minoribusque, tormentis igneisque missilibus utantur;
iamque Indici sclopi seu ferreae fistulae, et sulphureus pulvis

lungo intervallo Lusitanis antecellant.

Nudi, pube tantum velata, proelium ineunt

neque loricarum aut galearum onera patiuntur;

hinc nostro militi pugna longe stabilior

suoque et armorum pondere vehementius in hostem incumbit.

Contra, illis maior in dimicando velocitas et concursatio.

Quin immo, plurimum in ipsa fuga praesidii est:

obversantes offerentesque ultro sese,

ubi te iam iamque adepturum existimas, momento evanescunt.

Rursus, cum procul abesse credideris, ab tergo se ostendunt.

Pari celeritate et sequuntur et abeunt, et, (quod vel in primis capitale est)

haud incertiore ictu aversi quam adversi jacula dirigunt.

Quodsi comminus decertandum, vel necessitas cogat vel invitet occasio,

caesim plerumque feriunt, bracteolis plurimis ad gladii manubrium annexis
quorum tinnitu numeroso ad Martem pugnamque incitantur:
seque celeri vel procursu in hostem inferunt,
vel recursu -- cum opus est -- repente subducunt;
factaque testudine, ita sub scuto se totos condunt,
ut locus ad plagam nullus omnino pateat.

SINENSES

VI - Itaque rustici homines nullam agri partem incuria squalere patiuntur.
Saltus et colles pinu vitibusque; campi et planities
oryza, hordeo, frumento caeterisque segetibus nitent.
Quamquam e vitibus more nostro non exprimunt merum,
uvae quodam condimenti genere in hyeme adservare mos est.
Caeterum ex herba quadam expressus liquor admodum salutaris,
nomine CHIA, calidus hauritur, ut apud Japonios,
cuius maxime beneficio pituitam, gravedinem, lippitudinem nesciunt,
vitamque bene longam sine ullo ferme languore traducunt.
Oleis alicubi carent, sed earum vice non desunt plantae quae humorem unctui praebeant.
Pascua sunt etiam gregibus alendis uberrima;
et in hortis, egregie cultis, cum alia nostri orbis poma,
tum sapidissimos melopepones, suavissima et optima pruna ficusque,
et medica citreaque variae formae ac saporis, apprime generosa mala conspicias.
Ad haec perspicui fontes; et, miro colorum decore odorumque fragantia, flores ac rosae
perennant.
Flumina vero, quae magnas quoque patiantur naves, piscosa et amoena;
viridissimo riparum vestitu, pinguibus arvis interfluunt.
Quin, et ora maritima, pluribus introrsum aestuariis
ad omnium rerum copiam invehendam evehendamque facili patet accessu.
Ingentem praeterea volucrum et ferarum vim, ad aucupium ac venatum,
paludes, luci saltusque suppeditant.
Metalla auri et argenti, et ferri probatissimi et alia incolae effodiunt.
Margaritas et praecipuae nobilitatis vasa fictilia
quae vulgo porcellana dicuntur,
pretiosas pelles ad frigus arcendum (adhibent);
itemque gossipii, lini, lanae bombycisque et serici fila,
vestemque omnis generis mittunt innumerabilem.
Saccari et mellis, rhabarbari, cassurae⁵,
minii glastique⁶, tingendis vestibus expetiti, proventus ingens.

⁵ Herba Glastis, seu Isatidis. In Linnaei *Specie plantarum*: 'Isatis tinctoria' nuncupatur.

⁶ Cfr. Forcellini : «Cassura, herba: quae et podagra lini dicitur» (in huius lexici capite c.t. 'Verba Calepini et aliorum a nobis improbata et expulsa'): *Totius Latinitatis Lexicon*, typis Scummanni, Schneebergae MDCCCXXXV).

Odoramentis cum aliis abundant tum praecipue mosco
 (cuius nullam apud Latinos Graecosque scriptores mentionem invenio)
 e feris quibusdam, vulpecularum effigie,
 crebro verberare enectis, dein putrefactis.
 Denique nihil aliunde, non ad victum modo cultumque,
 sed ne ad delicias quidem ac voluptates requirunt.
 Ac proinde nulla sub Sole gens est apud quam aliarum gentium opes aequae consistent,
 quippe vendentibus cuncta Sinis, nihil invicem redimentibus,
 nisi forte, in usum tectorii cuiusdam odorati, piper ex India.
 Neque erat externo commercio locus
 ni Sinam infinita quaedam teneret argenti cupiditas. Id praeferunt auro,
 et cum indidem effossum, tum e regionibus remotis illatum, avidissime accumulunt.
 [...]

Ex iis moenibus, cum quaedam ante bis mille annos constet extracta,
 nullam tamen in eis rimam aut sinum aut labem aspicias,
 adeo severe acriterque sarta tecta a Regis Curatoribus exiguntur.
 [...]

Mulieres circa curam capitis multae sunt,
 crines, diu pexos concinnatosque,
 in summo circumligant vitta gemmis auroque distincta;
 reliqui corporis ornatus minime lascivus.
 Praecipuam decoris ac formae laudem
 in pedum brevitate et exilitate constituunt, atque ob id ipsum,
 eos, tenellos ab infantia, fasciis perquam arcte constringunt.
 Magnus apud nobiles matronas honor pudicitiae,
 raro visuntur nec in publicum prodeunt,
 nisi gestatoria sella, praetentis ex omni parte velis
 et, occultae speculationis causa,
 reticulatis ex ebore fenestellis ad latera apposis.
 Subcollant servi, magna undique stipante familia.
 Deprehensum adulterium, aequae viri ac feminae, capite luitur.
 Ad nuptias dotem non viro femina sed vir feminae defert.
 Singulae uxores in matrisfamilias numerantur loco:
 pellices procul a conspectu variis locis aluntur.
 Prostitutis ac meretricibus (ea fere mancipia sunt)
 proprium ac separatum in suburbiis domicilium est.
 [...]

Cumque sagina omnis generis, ferina aequae ac domestica,
 et piscibus ostreisque
 et cunctis ferme illecebris et condimentis abundant,
 suilla tamen praecipue caro
 summorum pariter et infimorum expetitur mensis;
 neque ex ullo alio animali copiosior ganea.

Cibos digitis attrectare
(ut sunt vulgo munditiarum diligentissimi) rusticitatis putant.
Bracteatis paxillis vel argenteis aureisque fuscinulis
concosa minutim frusta in os inferunt.
Exiguus poculis crebro haustu sedant sitim,
et magno cum honore verborum mutuo sibi propinant.
Miro interim silentio atque ordine
lances ab atriensibus inferuntur,
et in singula fercula mensae instrumentum omne mutatur.
Haec separatim viri ac matronae item seorsum
(quae maritorum zelotypia est)
eodem apparatu in penetralibus convivantur.

IAPONI

XII - Tellus maxima ex parte nivalis ac frigida neque admodum ferax.
Septembri mense oryzam (is cibus est communis omnium),
quibusdam etiam locis Maio, triticum metunt:
neque ex eo panes more nostro,
sed genus quoddam offae seu polentae conficiunt.
Salubris caeli temperies, aquae bonae:
calidas etiam alicubi, medicos in usus, emicare cognitum est.
Editi praeruptique montes,
cum alii passim, tum duo praecipua nobilitate visuntur;
quorum alter, incertae appellationis, assidue flammam evomit;
inque eius cacumine, certis hominibus,
postquam voti causa diu se maceraverint,
splendida circumfusus nube, sese cacodaemon ostendit;
alter, Figenoia nomine,
leucarum aliquot ascensu trans nubes attollitur.
E terrae visceribus incolae varia effodiunt metalla:
et longinquas nationes ea mercede pelliciunt.
Arbores vel ad amoenitatem vel ad fructum ferunt, haud absimiles nostris.
Unius tamen, quae palmam imitatur,
ignoto nomine, admirabile prorsus ingenium.
Siquidem, uti perhibent, humorem quemlibet reformidat:
si forte maduerit, contrahit illico sese
ac, velut pestifero contactu, marcescit.
Remedio est, avulsam radicitus in sole exsiccare et in vacuum scrobem
scoriam ferri contusam vel sitientem arenam infundere:
ibi, postquam aruerit,
rursus depacta revirescit ac pristinum nitorem decoremque recipit.
Rami quoque decidui seu defracti,
si clavo ad truncum affigantur, velut insiti coalescunt.

Plurima vero variis locis exsurgit cedrus,
 tantae proceritatis et crassitudinis
 ut inde fabri, basilicarum columnas
 et cuiuslibet, quamvis capacis, onerariae malos efficiant.
 Ex animantium genere oves, porcum, gallinam, anserem,
 foedasque alias domi haudquaquam alunt Iaponii;
 si caro gustanda est, ferina vescuntur.
 Campos boum et equorum militarium armenta,
 saltus atque dumeta, lupi, cuniculi, apri, cervi pererrant.
 E volatilibus phasiani, anates amnicae,
 palumbes, turtures, coturnices ac silvestres gallinae cernuntur.
 Pisce cum alio abundant incolae,
 tum vero fluvitiali tructa, seu filare,
 et marina tamquam alosa⁷: huic honos plurimus.
 Butyrum nesciunt, olivo carent;
 factitio utuntur e cetis ad litus eiectis;
 pineas taedas ac faces, alicubi etiam paleas, ad lumen adhibet vulgus.
 Procera statura si cui contigerit,
 sicut et decorum corporum habitu, gloriantur.
 Lenta plerisque vivacitas, firmae vires;
 in sexagesimum usque annum militaris aetas extenditur.
 Barbam alunt modicam...
 [...]

Mortalitatis incommoda, famem, sitim, aestum, algores,
 vigilias laboresque, admirabili patientia tolerant.
 In lucem editi, vel hieme summa,
 protinus lavandi ad flumina deferuntur.
 Ab ubere avulsi, venatu exercentur, et procul a matre ac nutrice
 locis habentur asperis, quod ita sentiant,
 nulla re magis infringi animos quam molli ac blanda educatione.
 Storeis, culcitrae in modum, tumentibus nitidisque,
 pavimenta consternunt.
 In iis et somnum, subiecto cervicibus lapide vel tigillo,
 et cibum capiunt, genibus nixi, cruribus insidentes.
 Munditiarum apud eos haud minor quam apud Sinas cura.
 Paxillulis item ipsi duobus inter edendum ita scienter utuntur,
 ut neque excidat quicquam, nec digitorum tersu opus sit.
 Caenationem intrant excalceati, ne catastromata calcando coinquinent.
 Tenuiores, ad mare praesertim, victitant herbis, oryza, pisce.
 Divites, ad consuetudinem Sinarum,
 ornant splendide atque apparate convivium.

⁷ In *Systemate naturae* Linnaeano: 'Alosa alosa', piscis.

In singula fercula, sine linteis aut mappis,
mutatur sua cuique convivae mensa,
e cedro pinuve, palmi fere altitudine, binum dodrantium quadro,
nitidissima lectissimisque distincta coloribus.
Cibi confecti in pyramidem extruuntur, auro conspersi,
cupressinis ramulis ad gratiam prominentibus.
Nonnunquam etiam, rostro pedibusque inauratis,
aves integrae nobilibus patinis inferuntur.
Hospitem et convivam hilare ac libenter accipiunt.
Convivandi ac propinandi multas habent leges, cum ritibus exquisitis:
hasce cuncti diligenter observant.
Usus vitis ignorant. Oryza exprimunt vinum.
Sed ipsi quoque ante omnia delectantur haustibus aquae paene ferventis,
insperso quem supra diximus pulvere CHIA.
Circa eam potionem diligentissimi sunt,
ac principes interdum viri
suis ipsi manibus eidem temperandae ac miscendae,
amicorum honoris causa dant operam.
Certasque habent aedium partes huic ministerio dicatas:
in iis focus assidue stat, cortina e ferro liquato superimposita.
Inde venientibus et abeuntibus amicis pocula porrigunt:
hospitibus vero in digressu contemplandam etiam offerunt gazam,
quae apud eos maximi fit.
Ea ferme sunt illius quam dixi potionis instrumenta:
focus et olla cum tripode,
infundibulum, figlini calices, cochlearia et vascula,
tum herbae ipsi, tum pulveri, qui ex ea conficitur adservando.
Haec, utique certi generis,
quod non nisi peritus eiusmodi rerum inspector intellegat,
haud inferiore apud Iaponios habetur loco
(quandoquidem haec opinione gentium constant)
quam apud Europaeos anuli gemmati et baccata monilia.
[...]
Ligneis plerique, ob crebros terraemotus,
quidam tamen ab imo lapideis utuntur aedibus,
elegantia atque arte visendis.
Magnifica item extruunt templa,
et sacerdotum utriusque sexus, ampla et sumptuosa coenobia:
quamquam ingentem eorum numerum, haec scribentibus nobis,
praepollens tyrannus Nubunanga, non tam christianae rei studio,
quam execrabili quodam omnium religionum ac superstitionum odio,
nuper evertisse nuntiabatur.
[...]

In gustu nostras illi epulas,
nos, vicissim, illorum condimenta aspernamur.
Aquam nos gelidam, illi calefactam aestate pariter et hieme potant.
In auditu symphoniam eorum nostrae aures omnino refugiunt.
Nobis dentium in candore,
illis, quod mirere, in ipsa nigritie decor est !
Itaque atro quodam eos pigmento identidem inficiunt.
Feminas in publico viri et cognati praecedunt, famuli subsequuntur.
Equum nos ab laeva, illi ab dextra conscendunt.
Inter salutandum nos caput;
illi perlevi crepidarum vel sandaliorum excussu pedes aperiunt.
Advenienti amico nos assurgimus, illi subsidunt.
Nobis gemmae; illis ferrea vel fictilia vasa in honore sunt.
Iam, in curationibus nos dulcia et bene cocta,
illi salsa et acria et cruda aegrotis apponunt:
nos pullos et altilia, illi pisces atque conchilia.
Pharmacis nos ferme olidis et amaris:
illi perquam suavibus et odoratis utuntur.
Nos crebro sanguinem, illi numquam eliciunt.
Atque aliis item in generibus ita multa observant eiusmodi,
ut, si minus plantis,⁸
(neque enim id probe dum exploratum est)
moribus certe orbi nostro plane oppositi videantur esse.

⁸ Felix Sanchez Vallejo: «cogitare videtur Maffei de 'antipodis'».

Verum ne Sinas, quod inter elementa lignum quoque et metalla numerent, tanquam a vero nimium aberrantes rideamus, eorum hic de elementis philosophiam breviter apponere visum est ex libro, quem XUKING nominant. Quinque, ait, sunt elementa: aqua, ignis, lignum, metallum, terra. Aqua irrigat & descendit, ignis siccatur & ascendit; lignum erectum & distortum vocatur; metallum ductile, laevitatisque⁹ patiens; terra semina capit, affertque fructus. Irrigans & descendens dat salsum; siccum & ascendens dat amarum; rectum & distortum facit acidum; ductile & politurae idoneum mordax facit sive acre; accipiens semina & dans fructus dulce gignit. Hae sunt quinque elementorum qualitates, seu sapor. Atque in his elementis explicandis nihil ex meo; a Sinis omnia desumpsi, quae dijudicanda lectori relinquo.

Praeterea haec eadem elementa Planetis applicant: Saturno terram, Jovi lignum, ignem Marti, aquam Mercurio, Veneri metallum. Quae stellae ad haec usque tempora iisdem, quae elementa, nominibus explicantur. Saturnum enim dicunt terrae stellam, Jovem ligni, Martem ignis, metalli Venerem, aquae Mercurium.

⁹ Ex verbo laevandi: «idem quod levigo» (Stephanus-Gesnerus, 1749).

III, II, 3-4^e - [*Iter e China in Mogor a nostris Patribus P. Alberto Dorville et P. Jo. Grubero expeditum*] Ē Lassā sive Barantōlā sub 29 grāduum, 6 minūtōrum ēlevātiōne Polī cōstitutā, usque ad rādīcem montis Langur quatriduō vērunt. Est autem Langur mōns omnium altissimus, ita ut in summitāte eius viatōrēs vix respīrāre ob aēris subtilitātem queant, neque iis ob vīrulentas nōnullārum herbārum exhālātiōnēs aestīvō tempōre, sine manifestō vītāe perīculō transīre possint. Per hunc montem ob horrenda praecipitia et scopulōsōs tractūs, neque currus neque iūmentum trānsīre potest. Sed pedestrī itinere tōtum iter cōficiendum est, spātiō ferē mēstruō usque ad Cūthī prīmam Regnī Necbāl urbem: quamvīs autem sit trānsitū difficilis, prōvīdit tamen natura dē magnā aquārum undique ex montium cavernīs ērumpentium tam calidārum quam frīgidārum cōpiā, necnōn piscium prō hominibus, pāscuōrumque prō iūmentīs ūbertāte. [...] Ex Cūthī quīnque diērum itinere pervenītur ad urbem Nestī, Regnī Necbāl, in quō omnēs idōlotrīae tenebrīs involūtī sine ullō Christiānae fidēi signō vīvunt; abundat tamen rēbus omnibus ad vītāam sustentandam necessāriīs, ita ut 30 aut 40 gallīnae prō ūnō scūtō passim vēndantur.

¹⁰ From the account in Athanasius Kircher's *China Illustrata* (1667) of the journey of two Jesuit missionaries from Beijing via Lhasa and Kathmandu to Patna in India in 1661-62. The priests took the overland route through Tibet and this extract describes the crossing of the mountains on the Nepal-Tibet border. Kircher never visited China but was an immensely learned man and his book was one of the most widely-read of early European works on China and central Asia.

III. Dē Themate Locōrum Clausōrum

Sinae hōc librō ante omnia tamquam locus clausus dēpinguntur. Prīmum, tōtum imperium Sīnēse exterōs peregrīnōsque sub poenā mortis exclūdīt, sōlis Iēsūtīs exceptīs. Cēterī missiōnarii, Franciscānī et Dominicānī praesertim, ūnā cum mercātōribus in oppidis lītōrālībus quibusdam manēre ac tabēscere coguntur. Deinde urbs caput Pēkīnum ipsīs Sīnēnsibus clauditur, nisi paucīs. Accēdit hūc palātium illud intrā urbem situm, cuius mūrī crassī et "inexpugnābilēs" ad unguem dēscribuntur. Ibi sunt "latebrae regis", nam "tōta apud Sīnēnsēs venerātiō ab abditō est." Intra palātium dēnique, in abditissimō locō, dēlitēscunt nōbilēs mulierēs: "nec ipsae ēgredi, nec quisquam alius ingredi potest" illūc, nisi eunuchī; nam in interiōrem rēgiae partem "nōn licuit umquam aliīs, praeter mulierēs et eunuchōs, penetrāre." Hoc thema locōrum clausōrum, praesertimque palātiōrum clausōrum, frequēns est in aetātis Baroccae fābulīs scaenicīs; succurrunt mentī imprīmīs Iōannis Racine, Gallī, tragoediae.¹²

Sed ad tot materiālēs mūrōs accēdunt etiam artiōra mentis et animī claustra. Sīnēnsēs enim exterōrum mōres contemnunt, et "superbē plūs cēterīs mortālībus sapere sē sōlōs crēdunt." A novitāte abhorrent, "nec dēviant a rēgulīs mōribusque maiōrum." Postrēmō additur linguae Sīnicae singulāritās et difficultās, quae missiōnāribus impedimentō est immēnsō. Quōmodo vērō ā Patre Schall Iēsūtārum opera dēpingitur? Reperiuntur in librō duo verba frequentissimē: "penetrāre" et "īnsinuāre"; exemplī grātiā, "Patres se īnsinuāvērunt," "Christiāna lēx in aulā rēgiā īnsinuātur," "ad aulam penetrāvit" Pater Adamus, Iēsūtāe "alliciēbant animōs" imperātōris. Itaque contrā mūrōs tam lapideōs quam mentālēs, nōn fit impetus ex adversō, sed sinuōsus potius quīdam mōtus. Dīcam obiter vocābulum quod est "sinuōsus" ad modum nārrandī, qui huius librī est proprius, sat idōneum esse. Graduālis haec penetrātiō et īnsinuātiō tōtum librī argumentum suppeditat. Vidēmus prīmīs capitibus Mattheum Riccium usque ad Pēkīnum solum pervenīre, in palātium accipī; deinde Pater Adamus - in epīodiīs nōn sine arte drāmaticā efficācī relātīs - Eurōpaeam scientiam venerātae et antīquissimae doctrīnae Sīnēnsī praestāre et antecellere probat. Agitur hīc imprīmīs dē sōlis eclīpsibus praedīcendīs. Diē enim quōdam, purpurātīs

¹¹ David Morgan (1959 -2013) was Professor of French at Furman college in the USA but his main scholarly interest was in neo-Latin literature and the promotion of spoken Latin. In this undated essay, available on the web at <http://mcl.as.uky.edu/schall>, he discusses Schall's description of China, highlighting the way in which the Jesuit astronomer sought to equate many features with those of the Roman Empire. In seeking out such parallels he was unconsciously replicating the approach of the Chinese themselves in the Han dynasty, when the Roman empire was known as Da Qin大秦.

¹² Inter hās sunt imprīmīs īnspectandae *Bérénice* (Parisiis, 1670), *Britannicus* (Parisiis, 1670), et *Bajazet* (Parisiis, 1672) - persaepe redimpressae.

omnibus ipsōque imperātore spectantibus, inter eclīpsem Pater Adamus cum primō mandarinō “speculam mathēmaticam cōnscendit; cōnstat solum novum ab Eurōpaeīs trāditum calculum tam temporī quam punctīs eclipticae exactē respondisse,” et antiquam Sīnēnsē rēgulam unā hōrā ā vērō discrepāsse. Ob hanc aliāsque causās Pater Adamus fidem et admīratiōnem imperātōris meretur; vetustātis cultus labefit et frangitur; mandarinī invidiosī, qui Patrem “thaumaturgum” et “magum” vocant, nihilōminus illi obtemperāre coguntur, nempe quōcum imperātor cotidie colloquatur ac familiāriter utatur.

Etiam in gynaeceum, intimam palātii regiōnem, penetrant quōdammodo Iesuītae - nōn ipsī, sed eunūchī, patrum vice fungentes, nōbilissimās nōnnūllās fēminās baptizant, quibus nōmina nova impōnuntur, quālia sunt Agatha, Theodōra. Hae marītis novam fidem expōnunt; integrae aulicae familiae baptizantur.

Ultimīs tandem librī capitibus ipse imperātor Patrī Adamō ānsam praebet, ut quid de nūmine divīnō cēseat, expōnat. Haec colloquia verbōtenus referuntur, quibus in ipsō umbilicō Sīnēnsis imperiī doctrīna Christiāna enūcleatur. Dubitat imperātor, titubat. In hōc rērum discrīmine - ac librī catastrophē - subitō corripitur imperātor ignōtō morbō, paucīs diēbus emoritur.

Capitulō extrēmō narrantur fūnerālia singulīque rītūs et caerimōnia - haec est librī quasi perōrātiō - sed ultimīs librī pāginis lector sentit nārrātōrem nōn iam intuēri solum, sed plēnē participāre vītā et cultum Sīnēnsē. Sānē orbis cultusque ille artissimē clausus, in quem Pater Adamus tot labōribus penetrāverat, in Patrem ipsum quoque penetrāsse videtur, qui quōdammodo Sīnēnsis factus est....

Quōs Sīnicē Patrēs Riccius et Schall scrīpsērunt, librī classicī inter Sīnās facti sunt, diūque in magnā venerātiōne habitī; quōs Latīnē scrīpsērunt, merentur saltem ut ā nōbīs adhūc legantur.

ORBIS HABITABILIS AD MENTEM POMPONII MELAE



K. Miller, Mappaemundi, VI, Rekonstruierte Karten, Stuttgart 1898



C. Ptolemaei Geographiae Opus, Jac. Angelo interprete, per I. Schottum, Argentinae 1513.



A. Kircherii China illustrata, Amstelodami MDCLXVII